



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCLXXXIII. Ioannis Papae VIII. Ad Evmdem. Iubet Placentinos  
clericos, quos sine commendatitiis literis ad eum confugientes receperat,  
ad eorum episcoprum remitti; eiusdem etiam ecclesiae ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

tuam Romanam ecclesiam recalcitrare , & contra tuæ iuratoriæ sponsonis tenorem luculentissime agere nullatenus dubitasti. Vnde auctoritate Dei & beati Petri , nostra que tibi præcipimus , & præsenti statuto iubemus , vt nullam omnino sacerdotalem ordinationem pro talibus , quibus es irretitus criminibus , facere quoquomodo præsumas , donec viii. Kalendas Octobris futuræ quintædecimæ indictionis , ad Synodum , quam , Deo fauente , pro ecclesiasticis videlicet utilitatibus , secundum sanctorum patrum statuta celebratur erimus , omni postposita occasione venire procures : quatenus synodali decreto ea , quæ de te didicimus , examinata canonicum finem percipient . Data ut supra .

EPISTOLA CCLXXXIII.  
IOANNIS PAPÆ VIII.  
AD EVMDEM.

Iubet Placentinos clericos , quos sine commendatitiis literis ad eum confugientes receperat , ad eorum episcopum remitti ; eiusdem etiam ecclesiæ clericos absoluī , donec cum eis ad Synodum veniat .

*Reuerendissimo & sandissimo Romano archiepiscopo  
Rauennati.*

INTER ceteras proprii affectus rationes incongruas , quibus te ipsum quotidie mente improuida \* insertiri non dubitas , Paulo carissimæ Placentinæ ecclesiæ antistite ad aures apostolatus nostri humiliiter reclamante didicimus , quod clericos ipsius ecclesiæ regulæ normam sectari nolentes , & idcirco sine commendatitiis utique literis ad te confugientes , contra sacra beatorum patrum statuta receperisses , receptosque tibimet famulari decernas . Quod nimur propter multam perturbationem , & seditiones , quæ sæpe fiunt , auctoritate apostolica , & sanctorum patrum præcipua institutione amputare volentes , reuerentia tuæ iubemus prædictæ ecclesiæ \* Fauentinæ clericos , quos penes te enormiter habere videris , & præcipue Gau-<sup>\* Placentinæ</sup><sub>rum</sub> sum diaconum , de præsenti suo reddere , vel dirigere procures episcopo . Quia non licet quemlibet clericum in dua-

rum ciuitatum conscribi simul ecclesiis, & in qua ab initio extitit, & ad quam confugit, quasi ad potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem: & ideo eos ad suam ecclesiam reuocari decernimus, & de illis amplius nullo modo recipias. Te autem aliquid amplius agere cauere prorsus oportet, ne sanctorum patrum iudicio, quod contra huius regulæ transgressores prolatum est, damnari omnino merearis. At si aliquid inter eos aduersi exortum fuerit, canonice inter eos diffinias: saluo sedis apostolicæ honore, atque vigore, saluoque tuæ ecclesiæ priuilegio. Et præterea sacerdotes, & clericos Placentinæ ecclesiæ, quos excommunicasti, ut ab eadem excommunicatione absoluas, quoisque tempore congruo tu cum eis Romam ad Synodum pariter veniatis. Data mense Iulio, indictione XIV.

## EPISTOLA CCLXXIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CONSTANTINVM SACERDOTEM.

Excommunicat eum, quod absque sua licentia ab archiepiscopo Rauennate ad Fauentinæ ecclesiæ episcopatum promotus fuerit: prohibeturque eum illius ecclesiæ administrationem attingere, donec ad Synodum Romanum veniat.

*Constantino sacerdoti ecclesiæ Fauentinæ de plebe sancti Petri Transiluanii.*

**A**UDIENTES te esse quasi ad episcopalem honorem a Romano Rauennate archiepiscopo, sine nostri pontificii auctoritate, seu licentia, & absque canonicae institutionis regula enormiter promotum; his apostolatus nostri literis ex Dei omnipotentis, sanctorumque Petri ac Pauli apostolorum principum auctoritate, nostroque apostolico iure, te excommunicamus, ut nullo modo habeas licentiam aliquid de episcopali officio peragere, aut ipsam Fauentinam ecclesiam quoquomodo inuadere, neque in pleibus, vel rebus, seu hominibus ipsius ecclesiæ, aliquod dominium agere præsumas, usque quo cum eodem Romano archiepiscopo tuo, \* octauo Kalendas Octobris quam, Deo fauente, celebraturi Romæ erimus, tuam specialem rebus præsentiam exhibere procures. Nam si

*Concil. Tom. 24.*

S f